

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 53

In nomine Domini Dei aeterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus misericordia Dei rex. Decet enim regalis clementiae dignitatem cuncta quae a servis Dei rationabiliter postulata fuerint, sollerti cura prospicere et oportuna ac congrua eis beneficia non denegare, ea quoque quae anteriorum acta regum pro Dei intuitu concedere visa sunt plenius confirmare. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris, praesentibus scilicet ac futuris, quoniam fratres, viri scilicet venerabiles, ex monasterio sancti Martini in suburbio Turonicae civitatis sito ad nostram accedentes clementiam petierunt suppliciter ut, pro Dei omnipotentis amore ac beatissimi Martini venerabilissima religione, sanctorum quoque omnium suffragio, ipsi congregationi celsitudinis nostrae praeceptum fieri juberemus, ut quiete et tranquille in restorationibus construendarum sibi mansionum quae lamentabili excidio saevis ignibus Nortmannorum depopulatione perierant eos degere liceret et ut quieti ac securi in eisdem mansionibus absque cujuspiam inquietudine esse valerent. Quorum rationabilibus et oportunis precibus assensum praebentes, hoc serenitatis nostrae praeceptum fieri jussimus, per quod praecipimus atque jubemus ut nec nos adventus nostri tempore, nisi pro tantae infirmitatis necessitate, sicuti nunc egisse cognoscimur, ad beatissimum patrem Martinum confugium fecerimus, — quod deinceps Omnipotentis manus clementer avertat! — nec ullus ex ducibus, abbatibus, domesticis, comitibus, grafionibus, centenariis, vicariis vel quicumque judiciaria potestate succinctus seu quilibet missus discurrens aut cujuscumque potestatis seu domini reverentia praeditus in supradictorum fratrum mansionibus infra ipsius coenobii septa constructis seu et cellis intra urbem vel burgum Turonicum consistentibus mansionaticum accipere aut ingressum vel introitum ad ipsos inquietandum habere praesumat, sed quicquid saepedicti fratres in eorum mansionibus fundaverint atque construxerint, tam ipsi quamque post eos eorum nutritii ipsius basilicae educati more ejusdem loci quiete et pacifice habeant, teneant et ordinent, ut, dum per nos pacis et quietis utuntur solatio, libere et quiete pro genitore et genitrice nostra, nobis, conjugum ac prole, regni quoque nostri statu Domini misericordiam eos exorare delectet, et nullus fidelium nostrorum hanc indulgentiam et bonitatem praeeptionis nostrae inrumpere aut violare praesumat, sed nostra munificentia quietos esse in eorum mansionibus de reliquo patientur et ut Ecclesia sancta Dei debitae reverentiae obtineat vigorem laborare decertent. Ut autem haec nostrae munificentiae auctoritas firmam et impraevaricabilem semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Hludowici gloriosissimi regis.

Vulfardus notarius ad vicem Gozleni recognovit et subscripsit.

Datum VIII kal. augusti, indictione XI, anno I regni domni Hludowici gloriosissimi regis.
Actum Turonis monasterio sancti Martini. In Dei nomine feliciter. Amen.